Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 235
Quelle:
Copyright:

nobili ortus in hieruſalem &c. Sed nemini imponat; non enim *Hervei* eſt, ut praefertur, verum *Iſidori Hiſpal.* excerptus e Libello *de ortu et obitu Patrum*, edit. *Pariſ.* 1601. p. 531. f. Commentarii porro ipſius initium eſt: *Viſio yſaie — Subintelligitur in primis hec eſt. ut ita ſit integer ſenſus* &c. Et finis: *ut tanti laboris mercedem in futuro ſeculo mihi reſtituat, qui uiuit* &c. Addidit Librarius:

Per calami florem lector perpende laborem
Obſecro ſcribentis, ſeriemque futura canentis.

II. *fol.* 270. p. 2. ἀνεπιγραφως *Petri Bleſenſis* Archidiac. *Bathonienſ.* Scriptoris Sec. XII. *Compendium in Job* cum Prologo, qui inſit: *Heinrico Dei gratia illuſtriſſimo anglorum regi* (II.) *Duci normanie et aquitanie et comiti andegauie Suus Petrus — Gratias ago gratie largitori* &c. Nihil perfectius edito inter *Opera omn. Pariſ.* 1667. p. 407. f. ſitu paſſum et abruptum in verbis: *ſub verborum paucitate declarat.* Itaque, quae ſunt *Cap. XLII. Job*, deperiere. In Theca poſtica Codicis legas: *Anno domini M° quadringenteſimo quinto fuit tanta kariſtia tritici quod metreta dabatur pro 1. libra denarior.* Aequiparari poteſt haec Rhenenſi noſtro, quorum quinos jam aevo noſtro *Metretae*, ſeu Modii pretium ſuperavit.

CLIV.

U. 32 Codex membraneus ſub finem charta ſubpletus lat. Sec. XIV. Folior. 185. f. per duas columnas manu ſat difficili exaratus, rubricis diſtinctus, et, ut praevie notatur, Ducali Collegio Vien. teſtamento legatus a ſaepe memorato *M. Thoma Ebendorfer de Haſelbach* continet *Hugonis a S. Caro* ex Ord. Praed. ad Romanam purpuram adſumti, Sec. XIII. Scriptoris *Poſtillas in Iſaiam*, unde Titulum praefert: *Dominus Hugo poſtillator ſuper Yſaiam.* Initium eſt: *Habemus firmiorem Sermonem propheticum* &c. Extant in Edit. totius Corporis *Poſtillarum* Noſtri *Lugd.* 1645. f. T. IV. *Fol.* 18. ad marginem interiorem legitur: *Iſte liber eſt beate Virginis marie in valis deij;* quo loco deſignari putem Coenobium Ord. Ciſt. in *Auſtria* infer. ad *Iſtri* et *Iſidis* confluentes dictum *in Valle Dei* vulgo *Seiſſenſtein*, nunc extinctum. Unde porro illum habuerit *Haſelbachius*, ad calcem manu ſua teſtatus eſt: *Hunc librum donauit michi Thome de haslpach Bertholdus mutarius in lyncz quem fecit ligari et vt cernitur finiri expenſis proprijs.* Quo anno id factum, docet Theca poſtica interior: *Hij XII. ſexterni in pergameno dati ſunt M. Thome de Haſelpach a Bertholdo mutario in lyncz quos fecit prius compleri et ligari* 1432. *Mutarius* (germ. Mautner) Vectigalium perceptor eſt a *Muta* (Maut) Vectigali ipſo, ſeu etiam loco, ubi id penditur, jam *Ulphi-*

lae